

4895

λ.

JUSTIS MARITALIBUS
Reverendi nec non doctissimi Viri
DOMINI:

FRANCISCI
HARTMANNI

Laubani

S P O N S I

*Ecclesiae in Welkersdorff Pastoris fidißimi
Et*

Honestissimæ ac pudicissimæ Virginis

ANNÆ

Reverendâ eruditione ac pietate
Spectatissimi Viri Dñi:

MARTINI BOHEMI

*Pastoris Ecclesiae Laubensis
Vigilantissimi filiae*

SPONSÆ.

*Celebrantium festiuitates Nuptiarum
XXIX. d. m. IIXbis.*

ANNO clo Ioc XII.




TYPIS Bössemeslerianis.

Biogr. er. D.

1585, 42

n. n.

Aus der
Schloßbibliothek zu Oels
1885



FRANCISCUS ANNÆ jungitur,
FRANCISCO & ANNA ducitur.
HARTMANUS ANNAM amplectitur
HARTMANO & ANNA nectitur.

Res mira, sed divinitus
& pacta, & acta plenitudo
uxore vir bonam bonus
potitur, uxor & viro.

Conjugia fiunt talia,
verè ac merè fatalia.
non omnibus sunt qualia,
tàm læta, quàm Lethalia.

DURANDE, ne sis durior,
tàm mollicellæ Nymphulæ,
& bellulæ puellulæ
castè educatæ & sobriè.

Quam per parentes dat Deus,
quam dant parentes cum Deo.
prædulce donum & aureum,
vel si quid auro dulcius.

Consors boni, consors mali,
tecum manebit ANNULA.

Formoscula & mellitula,
& blandicella Sponsula.

Et Autor, & qui fautor est
connubialis ordinis
fortunet atq. sospitet
connubialem hunc ordinem.

Vos vivite atq. plaudite,
& gignite, atq. crescite.
& lusitate mutuò,
Deumq. amate sedulò.

Sic vos fluore divite,
cornu beabit copix.
Sic vos tuebitur Deus.
& sic parentes cum DEO.

*MELCHIOR ECCARDUS Chemn.
jllustris Aulae Münsterberg. concionator,
pastor & Superintend. Olsnens.*



AN

N benè conjugio socias tibi, Sponse, maritam?
Num satius thalami expertem mansisse, quietam
perduxisse piis vitam sine conjugè curis?

Fallor? an enervat validas Venus improba vires?

Plurima dura latent molli (num credis?) amori.

Conjugium referam? quod habet mala plurima, quèis

Subficeret fandis magni facundia Tulli. (vix

Fœdera conjugii, neglectis hisce, subire

audes, non Veneris pugnamq; Vereris inire?

Aggredere ô Neonymphe, facis benè, fœdera tædæ,

O castis cœptis faveat, preor, optimus autor

conjugii, haut hominem voluit qui vivere solum,

E costa sociam thalami produxit Adami. *Conubio satig lateri iuxta*

Consortem. ~~Conubio~~ thalami, quam cæco carpiet igni.

Molli dura latent: quid tum? quin durus & ipse,

Indura durum, vir eris re & nomine durus.

O te felicem Sponsum, nimiumq; beatum;

A Jova, quæcunq; venit, conjux venit omnis,

Existit quicquam vix tanto munere majus.

Hæc spes in dubiis, in duris dulce levamen,

Officiosa domus domina, & medicina doloris.

O quantum existit munus tibi, Sponse suavis,

Sponsa bonis prognata, piis pia, castaq; castis.

O utinam Pylios possētis Vivere in annos,


Absit Eris thalamo, adsit Eros, concordia sancta

Vos foveat. Vobis Jova hæc pia vota secundet.



Hisce meis votis donet meliora subinde.

MARTINUS BOHEMUS Junior.

L. L. Sponsæ Germanus.


In fidiis Veneris valles, ubi præterit æstas,
Cinxit, divina venator Palladis artes
callens, & lato posuit venabula ferro:
Rara per occultos duxit sua retia calles,
capturus prædam, quæ esset vix pulcrior ulla.
Nec mora, nunc illuc, nunc huc, omnemq; pererrat
Undiq; circuitum, posset num offendere damam.
Gaudet equo, & sonitu conspirat cornua rauco:
Sed pavida fugere fera, & silvestribus audent
fidere nequicquam dumis; hic fervidus instat.
Insequiturq; feras trepido pede, easq; fatigat.
Fortè ubi nunc has cursu nunc præcesserat illas;
conspicit insignem procul haut occurrere prædam,
prædam, de patriis via quam deduxerat oris,
Hancce petit solam, solaq; moratur in ipsa:
Dumq; ita flectit equum valles, perq; invia lustra,
præda petita diu in laxos ruit obvia casses.
Accurrit juvenis, rapit hanc, & fortibus aptat
Hanc humeris, hanc portat ovans, hanc ducit ad aram,
Non necis ara isthæc fuit, ast vitæ ara jugalis.

Johannes Stäinmez.
Laubanus.



A DEO

A DEO consors thalami pudica
Jam viro docto datur en virago :

Quæ suis donis variis & aurum
Nobile præstat.

Nam Deus castas amat Ipse mentes,
Casta cum sit mens, quoque mente casta
gaudet, ac castæ sociam pudicam
foedere jungit.

Virgini gnatum pater immodestæ
Collocat non sponte sua modestum;
Impudicæ haut dat juveni pudicam
ducere gnatam.

Cur Deus verò juveni locaret?
Cum sciat mentem juvenis pudicam,
Virginem tactam, cor & impudicum
Virginis Ipse.

Sed Deus fidum facit hic parentum
more, nec casto juveni impudicam
Virginem, impurum juvenem puellæ
Nec dat honestæ.

Ergo

Ergo confortem Deus Ipse castam
Dat tibi, ô Hartman, thalami sacрати,
Qvæ suis donis variis & aurum

Nobile præstat.

Nam tuá vitá hanc meruisti honestá,
Cum Deo solo fueris dicatus,
Semper urfisti ingenuum pudorem

Cum pietate;

Ergó confortem hanc cape tu modestam,
Ac Deo grates meritas habeto,
Qvod tibi junxit sociam modestam

atq; pudicam.

Prosperum qvô sit sociale foedus
Jam tibi exopto prece; sint amoris
vincula inter vos paria, alma, & adsit

Pax, Eris absit.

Baltbasar Bobemus Laubanus.

Sponse Germanus.

55*50

Biogr. v. d. D. 1585, 42